




Gd. 62.

SCHEDIASMA OCTAVUM  
DE VITA  
**ADOLPHI NASSOVII,  
REGIS ROMANORVM,**

---

A. M CC XCVIII.

ATTENTATAM AD MAJESTATIS  
EIVS IMMINVTIONEM VSQVE.



Q V O  
AD LVSTRATIONEM  
GYMNASII IDSTEINENSIS

VERNAM,

D. XXII. MENSIS MARTII, A. R. S. C<sup>is</sup> IO CC LXXIX.

HABENDAM,

**FAVTORES ATQVE AMICOS  
REI SCHOLASTICÆ**

OMNI OBSERVANTIA INVITAT

J. PETR. WAGNER,  
PROFESSOR ET RECTOR GYMNASIL.

---

W I S B A D I I ,

IMPRIMEBAT Io. SCHIRMER, AVL. ET REGIM. TYPOGRAPHVS.

SCHEDIASMA OCTAVUM  
DE VITA  
ADOLPHI ASSOANI  
REGIS ROMANORVM

MDCCXCVII  
AD LUSTATIOTIS  
EIVS IMMUNATIONEM VERO

AD LUSTATIOTIS  
GYMNASII DISTILINENSIS

AD LUSTATIOTIS  
GYMNASII DISTILINENSIS

MANUSCRITUM

AMICOS  
LUSTATIOTIS  
REI SCIENTIARUM

SCHEDEIASMA OCTAVUM

JO. AL. MAGISTER  
PROFESSOR ET TUTOR GYMNASII

WIBERDII  
AL. MAGISTER  
PROFESSOR ET TUTOR GYMNASII



## ACTA A. M<sup>c</sup>cxcviii.



Venio nunc ad annum vitæ *Adolphi* ultimum, quo inimicissimi, quod obscurius excogitaverant, palam facere ausi sunt, ut Regi *Adolphi* imperium abrogarent, in hujus locum *Albertum*, Ducem Austriae substituerent.

Rex igitur, qui consilia hostium cognita & perspecta habebat, insidias illorum vitare studens, initio anni in oppidis *Rheno* adjacentibus, quibus plurimam habebat fidem, commorabatur.

Neque tamen inter hos belli apparatus, quos pro rei necessitate agitabat animo, curam religionis in terris suis *Nassoicis* propagandæ neglectis, sed novum Monasterium *Clarendon*, in vicinia *Wisbadii* constituendum, ut beneficii exornaret, omnem adhibuit operam.

De quo eo lubentius referimus, quo certius est, illud non solum exemplum esse venerationis, qua res divinas prosecutus sit; sed etiam hodie hujus Monasterii reditus Ecclesie & Scholis *Nassoicis* nutriendis, vel maxime inservire.

Ordo sanctæ Clariæ erat illo tempore recentior, qui in Ecclesia magis magisque efflorescere coepit. Ipsa *Adolphi* mater *Adelheid* illius valde erat studiofa, saepius *Moguntiae* sacris St. Clariæ interfuit, suæque pietatis fructum tulit, ut *Moguntiae*, comitante Rege *Rudolpho* & Archiepiscopo *Henrico*,

rico, magnifice sepeliretur, ejusque nomen in lapide incisum. ad introitum Monasterii St. Clare Moguntini poneretur. (a)

Pari pietatis studio filia Regis Adelheid & soror Richardis duxæ, ad hujus ordinis societatem Moguntiae acceperunt.

Quæ igitur cum Regina *Imagina* & *Diethero*, fratre Regis, viro ordinis *Prædicatorum* non defierunt *Adolphum* impellere, ut novum quoddam St. Clareæ Monasterium pro sua & suorum progenitorum salute, in honorem Domini Jesu Christi, B. virginis Mariæ, atque virginis Sanctæ Claræ instituere decerneret. Idque *Adolpho* facile persuaserunt, cum ille vestigia priorum principum persecutus, lubenter Ecclesiæ & familiae suæ prospiceret.

Vallis, in qua sedes hujus Monasterii constituta fuit, antea vocabatur *Bruderode* & ad curiam St. Adelheidis in *Biburg* (*Biberg*, *Biberich*) pertinebat, quam mutato nomine *Clarenthal* appellari jussit. Quod predium St. Adelheidis *Adolphus* ab ordine Sancti Benedicti in *Selsen* Alsatiensi emerat. Ipsum autem Monasterium *Selsenfe* Sanctæ Adelheidæ, uxori Cæsaris Ottonis I. originem debere, satis constat. (\*)

Simul

(a) Johann Georg Zagelgans Massauische Geschlechtstafel, p. 6.  
conf. Schediasma I. p. 8.

(\*) Litteræ, quibus predium apud *Moskebach* & *Bibure* Monaster. *salfensi* ab OTTO III. Imperatore a. 992. traditur; editæ sunt in *Joannis S.S. Mog.* T. III. p. 531. conf. *Schenckii* memorabilia *Wishadense* P. II. p. 42. Quum vero minus accurato lectionis genere usi sunt, ex scripto genuino in tabulariis *Nosoicis* reposto, copiam illarum certiore proferendam duxi: In nomine sancte & individue trinitatis. Otto divina favente gratia rex. Noverit omnium fidelium nostrorum plementum scilicet & futurorum industria qualiter nos rogante carissima avia nostra Adelheida imperatrice Augusta quoddam predium nostrum *Bibure* & *Moskebach* nuncupatum cum omnibus pertinentiis suis in pago *Cunigisunderon* in Comitatu *Druwini* comitis situm *salfensi* cenobio in honorem apostolorum constructo pro remedio & elemosina sua & nostra & parentum nostrorum atque sancte Romane ecclesie sub libertate ab utrisque tradito, in proprium jus concessimus firmiterque donavimus cum terra dominicali vicina predicto predio pertinentes ad castellum, in super etiam centum XX. jornales in alio loco adjacentes, ad predictum castellum respicientes cum banno & cum mancipiis utriusque sexus edificiis - terris, cultis & in cultis, pratibus, paucis, vineis, campis, agris, silvis, aquis - aquarumve decursibus, pificationibus, Molendinis, mobilibus & in mobilibus, viis & inviis, exitibus & redditibus, questis & inquirendis, & cum aliis omnibus rebus, quæ dici vel nominari possunt, a nostro jure in predicti Monasterii jus ibi perpetualiter habendum transfundimus, ut servi Dei illuc commorantes pro salute nostra & statu imperii nostri Dominum eternaliter exorent, & ut hec nostre concessionis Donacio, firmius, stabiliusque esse credatur, hoc nostrum preceptum inde conscribi manuque propria subtus roboratum anulo nostro sigillari jussimus. Signum Domini Ottonis — glorioissimi regis, Hildibaldus episcopus &

Simul noster aliam curtim *Arminruwe* dictam (vulgo *Armenruh*) cum bonis apud *Muschebach* (*Mosbacun*) quam Monasterium *Eberbacense* in *Rhingavia* situm possidebat, emendo sibi comparaverat.

Quæ prædia *Adolphus* duobus millibus marcarum denariorum Colonensem coëmpta novo Monasterio *Clarenthal* destinaverat, ut haberet, unde illi alimenta & alia necessaria præberentur. Ipsum ædificium hujus Monasterii anno MCCXCVI. d. II. Febr. inceptum, & fundamentum circa festum S. Michaëlis iactum, sub auspiciis nobilis viri *Ludovici de Sonnenberg*, qui, *Adolpho* sæpius absente, curam terræ *Nassovie* gerebat.

At litteræ *Fundationis* a. MCCXCVIII. d. VI. Jan. ab *Adolpho Spiræ* datæ, consecutæ sunt, in quibus præcepit, ut *Adelheid* filia Regis & Soror *Richardis*, primum in hoc Monasterio occuparent locum. (b)

X 3

At

& Cancellarius vice *Willegisi* Archiepiscopi recognovit. Data III. Kal. Jan. Anno Dominice incarnationis. Deccc. xcii. Indictione V. Anno autem tercii Ottonis regnantis nono.

Actum Polide feliciter amen.

Conf. *Schaeffini* Alsatia dipl. T.I. p. 135. *Hanausches Magazin* St. 21. p. 181. St. 39. p. 359.

(b) Litteræ fundationis: In nomine sancte & individue Trinitatis, amen. *Adolphus* Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, universis Sacri Romani Imperii fidelibus, tam presentibus, quam futuris, graciam suam & omne bonum. Quoniam Regi Seculorum immortali & invisibili Soli Deo debetur omnis honor & gloria, summopere dignum duximus, exhibere majestati sue gloriam & honorem augendo cultum fui nostris (lege nominis) in terris, ut etiam regni sui gloriam nobis impertiri dignetur in celis. Hinc est, quod nos in omnibus nobis, operante gratia Dei, salubribus inclite Imagine, Romanorum Regine, thori nostri consortis karissime, monitis accentu & dilecti germani nostri, Magistri Dietheri, de ordine fratrum Predicatorum, quem favore condigne dilectionis, non immerito prosequimur, indefessis exhortationibus & consiliis, incitati, dilectissimarum quoque nobis *Adilheydis* filie nostre & *Richardis*, germane nostre sanctis desideriis ac piis precibus inclinata, Monasterium Ordinis sancte Clare pro nostra nostrorumque progenitorum salute fundavimus, & construendum decrevimus, nostris impediis & expensis, ad honorem Domini nostri Jesu Christi & gloriose virginis Marie matris ejus, atque ejusdem sancte Clare virginis & Sanctorum omnium in comitatu nostro *Nassowie* prope oppidum nostrum *Wisbaden*, in fundo, qui ad curiam sancte *Adilheydis* in *Byburch* pertinet, dicitur, in valle, que dicebatur olim *Bruderode*, sed nos eam, mutato nomine *Clarendal* appellamus, volentes in eodem Monasterio pro fundamento folido karissimas nobis *Adilheydim* filiam nostram & *Richardim*, germanam nostram, predictas forores ordinis sancte Clare, quasi duos lapides primarios preciosos vivos & caros cum aliis sororibus sui ordinis, ad servendum inibi Domino perpetualiter collocare. Pro construendis igitur ac

At ipsum dominium & usum bonorum, quorum supra mentio facta est,  
litteris d. XXIV. Jan. Oppenheimii datis, Wiesbadum missis, tradere accu-  
ratio

ac disponendis Ecclesia, choro, Monasterio, claustro, officinis & aliis  
edificiis, ac usibus quibuscumque ad necessitatem ac commodum dictarum  
fororum atque familie sue pertinentibus, donavimus & donamus libere ad  
augmentum dotis, donatione perfecta & irrevocabili inter vivos, salvo jure  
cujuslibet, locum, fundum, seu aream memorare vallis, cum omnibus  
usibus, fructibus, & proutentibus, qui in ea sunt, nunc & in futurum pos-  
sunt fieri quoquo modo. Preterea dictam curiam nostram sive curtum in  
Byburch, que quandam fuit Abbatis & conventus Monachorum, ordinis  
sancti Benedicti in Selsen, Argentinensis Diocesis, atque curtum nostrum,  
que vocatur Arminruwe, que quandam fuit Abbatis & conventus Mono-  
chorum Cenobii Ebirbacensis, Cisterciensis ordinis, Moguntine Dyce-  
sis, in qua Diocesi eiam predictum Monasterium Clarendal est funda-  
tum, quas quidem curias sive curtes cum omnibus attinencis suis in  
Musschebach & in aliis locis terminis, rebus & juribus quibuscumque a  
predictis abbatibus & conventibus Monachorum eorum spontanea &  
communi ad vendicionem accidente consensu, ad usum dictarum fororum ordinis  
sancte Clare comparavimus pro duabus millibus marcarum colonien-  
sium denariorum, tribus Hallensibus pro denario computatis, eademque  
summa pecunie illis gratanter acceptantibus, a nobis tradita integraliter  
& soluta ac in eorum necessarios & communes usus conversa in dictum di-  
cti Monasterii Clarendal & in sustencionem dictarum fororum ordinis  
sancte Clare & familie sue existentium pro tempore in ipso Monasterio,  
donavimus & donamus simpliciter & absolute & in totum, donatione per-  
fecta & irrevocabili inter vivos, cum omnibus attinencis suis in Mussche-  
bach & in aliis locis, terminis & rebus, domibus aliquaque edificiis, mon-  
lendiis, agris, vineis, nemoribus, virgultis, silvis, ortis, areis, cam-  
pis, pratibus, pascuis, cultis & incultis, viis & inviis, aquis, aquarum de-  
cursibus piscariis, censibus, redditibus, proutentibus acquisitis & acquireni-  
dis, mancipiis utriusque fexus, serviceis, iudiciis juribus quibuscumque, cete-  
risque omnibus attinencis, cum omni integraliter & libertate, quibus pre-  
fati viri, religiosi Abbates & Monachi, universa & singula predicta cuius-  
cumque vocabuli expressione notentur, habuisse & posseditse noscuntur.  
Et si quid amplioris libertatis ex magnificientia regalis gracie predictis su-  
peraddere possumus, solemniter addimus in his scriptis. Insuper sepedi-  
cum Monasterium Clarendal, cum dote sua libera, sicut superius est tacta,  
optulimus & offerimus, cum omnibus attinencis suis liberum & solutum  
Deo & sancte Marie, virginis integraliter & pro corde sacrificium voluntari-  
um & devoutum pro peccatis nostris & delictis, transferentes ea tenore  
presentium in jus & in proprietatem sepe dicti ordinis sancte Clare, ut fa-  
mule Dei & sponsae Christi, forores videlicet ipsius ordinis in ipso Monas-  
tero Clarendal, celesti Domino servientes, & in perpetuum serviture pro  
nobis, & pro statu regni nostri, atque pro salute parentum & liberorum  
nostrorum, devotis mentibus suum sponsum & Dominum patrem omnis  
gracie

ratius jussit *Adolphus*. Quam caussam piam deinde *Regina* litteris d.  
XXVI. Febr. *Wimpinæ* datis pro more temporum confirmavit. (c) Sed  
redeo illuc unde divertimus. *Albertus Austriacus*, quantum poterat, se  
ab omnibus aliis bellis, quæ multos annos traxerat, ab ducebat, transfe-  
batque animum ad opprimendum *Adolphum*. Ex quo factum est, ut inter  
alios, quos omitto, superiori anno cum *Conrado*, *Archiepiscopo Salisbur-  
genſi*

gracie & glorie jugiter deprecentur. In cuius rei testimonium evidens &  
memoriam sempiternam presens scriptum sigillo majestatis nostre jussimus  
communiri.

Datum Spire oct. Idus Januar. indictione undecima, anno Domini mille-  
simi ducentesimo nonagesimo octavo, regni vero nostri anno sexto.

*Conf. Hagelgans. l. c. p. 8.*

(e) Litteræ *Regina Imaginæ*: Ymagina Dei gracia Romanorum *Regina*, semper  
Augusta, universis sacri Romani Imperii fidelibus presentibus & futuris  
salutem & graciæ suam. Cum Serenissimus Dominus noster *Adolphus*, Ro-  
manorum Rex, nostris diutinis desideris salubriter acquisescens, Monasteri-  
um ordinis sancte Clare fundavit in comitatu nostro *Nassowia*, in fundo,  
qui ad curiam sancte Adelheydis in *Byburg* spectare dignoscitur, cui nomen  
*Clarendal* imposuit, & curtibus suis bonis in *Byburg*, *Muschebach* & *Ar-  
merin*, quas vel que sua prompta pecunia ad usum sororum dicti ordinis com-  
paravit, idem Monasterium dotavit, ipsumque Monasterium cum dicta dote  
sua libera prænominate ordinis sancte Clare donatione perfecta & irrevoca-  
bili inter vivos, ac pro suis & suorum delictis Deo sacrificium devotum ob-  
tulit, sicut in litteris suis inde confectis sub regie majestatis sigillo, pleni-  
us contineri vidimus & perlegimus, suis felicibus actibus congaudendo.  
Nos a teneris annis intimo zelo sancte religionis ante dicti ordinis sancte  
Clare ferventes, fundacionem prefati Monasterii Clarendale & extera omnia  
& singula, que de sepedicto Monasterio & sororibus ordinis sancte Clare in  
prefatis litteris Domini nostri *Adolphi*, *Romanorum Regis*, semper Augu-  
sti, lucide continentur, eterne retributionis intuitu, & amore *Aleydis* filie  
nostre karissime, & *Richardis germane*, predicti domini nostri *Regis*, no-  
bis amantissime, solemniter approbavimus, & laudavimus, ac tenore pre-  
sencium univeris & singulis premissorum benevoli consensu nostri firmi-  
tatem & graciæ irrevocabiliter impertimur. In premissorum autem omni-  
um testimonium evidens & cautelam, ac memoriam sempiternam presens  
scriptum sigillo majestatis nostre jussimus communiri. Datum *Wimpine*  
vi. Kalend. Febr. anno Domini M c. nonag. viii. regni vero dicti Serenissimi  
Domini nostri *Reg. A.* anno VIto. conf. *Hagelgans l. c.* Quod vero  
consensu muliebri istis temporibus opus fuerit, vid. *Senckenberg* prodr. jur.  
feud. p. 144.

Plura de hoc Monasterio Clarendal memoria digna refert Gottfr. Ant. *chenck.*  
*Geschichtbeschreibung der Stadt Wiesbaden*, p. 391. seqq.

gens, hoste acerrimo, pacem constitueret, ea quidem lege, ut neque aduersus Regem Romanum, neque alium bellum gerere vellet. (d)

Nihil autem Alberto magis erat curæ, quam ut Papam Adolpho infestum, sibi autem amicissimum redderet. Vix enim superiori anno Principes, Pragæ congregati, exauctorationem Adolphi decreverant, Albertum litteris hortantes, ut armis occuparet imperium, cum Albertus comitem Haigerlochium, cognatum suum, cum litteris Romam mitteret, ut Pontifex exauctorationem Adolphi, a quibusdam Principibus propositam, confirmaret. Atque ut multitudine pecunia, a bono honestoque Papam in pravum abstraherent, XVI. millia marcarum argenti illi jusserat tradi. (e)

Qui vero etsi prædicabat, Adolphi exauctorationem a Pontifice approbatam, litterasque sibi de illa re ad principes Electores esse missas, tamen quod paulo post apparuit, Bonifacius a tanto scelere abhorruit, ipseque litteræ quas fama, auctoribus malis, divulgavit ad aucupandam vulgi gratiam, quasi assensu comprabasset exauctorationem Adolphi, pro litteris adulterinis habendæ sunt. (f)

Igitur Adolphus postquam de exauctoratione per omnes locos agitabatur, Romani legatos misit, qui ad liquidum veritatem explorarent. At Pontifex negabat, se in Regis Adolphi exauctorationem consensisse; illum potius ad coronam imperialem Romæ accipiendam liberaliter invitavit. (g)

Ita-

(d) Jacob. Unrest. in Chron. Carinthia apud Hahn Monum. Coll. I. p. 521. Scribit: zu solche Zutte wurd die Sach und Krieg um den von Salzburg und ander in Karinthien alle richtig. conf. Anton. Steyereri commentarii pro historia Alberti II. Ducis Austriae in additam, ad cap. I. p. 7.

(e) Chron. Colmar. ad h. a.

(f) Auctor Chron. Colmar. ita dubie scribit: Comes Albertus de Haigerloch Romanum adiit, iussaque complevit Pape, Cardinalibusque cauissim, pro qua venierat, recitavit. Qui, (ut dixit,) litteras quasdam tradiderunt, & ad propria pergere permiserunt. Tenorem litterarum omnis homo simpliciter ignoravit. Haec littera Papa supra dictis Electoribus Regis, subito transmittuntur. confer. Raynald. in contin. Annal. Baron. ad a. 1298. p. 520. Ubi litteræ, quas ostenderunt, adulterinae vocantur.

(g) Scherzii dissert. ed. Lipf. p. 42. Chron. Colm. P. alt. p. 57. ita refert: Principes his visis litteris Papa convenerunt & colloquium seu curiam in festo sanctorum Philippi & Jacobi pro regni negotiis edixerunt, & Regem Adolpum & Ducem specialiter vocaverunt. Audiens haec Adolphus Rex nuncios misit ad curiam, ut litteras ducis Austriae seu Principum electorum Regis irritas facerent, aut delerent. Cum nuntii Regis ad curiam pervenissent & Papæ Regis negotia revelasset, taliter respondit: Neque Dux Austriae, neque Principes ad petitiones, quas porrexerant, a me litteras poterant impetrare, si autem litteras aliquas obtinuerunt, hoc per me non fecerunt:

quia

Itaque illi iniqui sunt judges, qui dicitant, *Bonifacium Alberti sententiam Adolphum abrogandi, habuisse ratam.* (h)

Ille potius post fata *Adolphi* impios *Alberti & Principum electorum mores in Dominum suum valde reprehendit, diuque Austriacum potestate regia indignum judicat, quod occidendo Adolphum omnis reverentia Regi debita animo excesserit.* (i)

Neque obscure significat *Papa, Albertum* illis sceleribus patratis, læsa majestatis crimen esse reum. (k)

Idem ille in odium *Alberti Regis* post mortem Archiepiscopi *Boëmundi, Dietherus*, Regis *Adolphi* frater, ut *Ecclesiae Trevirensi Archiepiscopus* præficeretur, providebat *Bonifacius.* (l)

Quid? quod illud scelus in Regem commissum tam alte manebat mente repositum, ut in litteris a. 1301. ad principes Electores missis, id apparet horrendum & piaculare flagitium, ob effusum sanguinem innocentem, divina vindicta puniendum. (m)

Si quid vero isto tempore, quo hæc agebantur, *Pontifex Adolphus* dederit culpæ, id existimandum est, quod adhuc nullas pacis conditiones cum Rege Gallico accipere voluerit. Neque tæduit *Bonifacium* hoc tempore in eodem caussæ genere laborare. Namque *Comes Flandriae & Barrie, Domi-*

quia hoc die me penitus ignorare & verbis meis credatis, dicatisque securi Regi, ut veniat ad me, & ipsum in Cæsarem consecrabo. Auditis his, nuncii Regis ad propria redierunt.

(b) *Dat. de pace publica. p. 17.*

(i) *Henr. Stro annal. ad an. 1298. Albertus, quem prædecessorem occidisset, electus fuit Aquisgranii in regem, misitque solemnes nuntios anno sequenti ad Papam Bonifacium VIII. pro approbatione electionis sue: quem idem Papa multis allegatis rationibus repulit prima vice, & afferuit esse nullam. conf. Platina in vita Pontif. Bonifacii VIII. (Albertum) quem in initio Pontificatus sui repulerat.*

In Jo. *Vitodurini Chron. p. 1768. Pontifex Alberto objiciit: quod in Christum Dominum manum misisset, occidendo Adolphum, filium suum per dilectum.*

(k) *Albert. Argent. P. III.*

(l) *Trithemius Chron. Hirsang. T. II. p. 74. Post mortem Boëmundi Dietherus ex comitatu de Nassau frater interemti Regis Adolphi, ordinis, ut ferunt, Prædicatorum, non electus, atque postulatus, sed quorundam consilio & provione Bonifacii Papæ VIII. in odium Alberti Regis, Archiepiscopus Trevensis ordinatur.*

(m) *Raynaldi annal. Eccles. ad h. a. p. 549.*

Dominique quidam *Burgundici*, socii Regis *Angliae*, adhuc a Rege *Galliae* valde pressi, rebus desperatis, a Pontifice auxilium petebant, illoque arbitrio in controversiis suis cum Gallis se uti velle, significabant. Quod eti Bonifacio placebat, tamen legati *Anglici* hujusmodi confiliis obstabant, causam interferentes, fide sua esse indignum, aliquid facere, quod non probasset *Adolphus*. Hinc Bonifacius jurisperandi, quo *Anglorum Rex* tenebatur *Adolpho*, postquam fecerat gratiam, inscio *Nassovio* in disceptationibus istis sententiam suam d. XXVI. Jun. *Rome* pronunciavit. Eodem die dedit litteras publicas, quibus *Adolpho* & *Philippo* præcepit, ut suis quisque finibus contentus esset, neuterque alterum armis impugnaret. In eisdem litteris Papa *Adolphum* nostrum vocat *Regem Romanum*, & *filium suum* carissimum; quod non factum esset, si ad exauctorationem ejus ante consensisset. (n)

Neque tamen has litteras *Adolphus* videre poterat, cum illum paucis post diebus occisum esse, constat.

Etsi autem *Principes* ex litteris *Pontificis*, si quas miserit, sine dubio intellexerint, exauctorationem *Adolphi* illi minus probari, tamen ea, quæ rescriperat, diligenter reticebant, illius consensum, ut voluntatem vulgi non offendenter, simulantes.

Itaque *Viennæ* in mense Februario scilicet post octavam purificationis Mariæ in *conventu illustri* conspirationem, superiori anno suscepimus confirmarunt. Convenerant ad *Ducem Austriae*, Rex *Hungariae* *Andreas*, Rex *Bohemie* *Wenceslaus*, Dux *Saxonie*, Marchio *Brandenburgensis*, & multi alii Duces, Principes & Episcopi, quorum officia in *Ducem Albertum* minus poterant esse obscura.

Voluntas omnium, cum quibus simultates exercuerat, ut reconciliaretur, *Albertus* maximam dedit operam. At illorum dissidia & reconciliaciones enumerare longum est.

Neque id parvi aestimandum est, quod isto loco Rex *Hungariae* filiam suam principi hereditario *Bohemie* *Wenceslao* desponderet. (o)

*Alber-*

(n) *Rymer.* acta Angl. ad h. a. Matth. *Westmonaster.* ad a. 1298. p. 431. *Raynald.* T. XIV. p. 518, seqq. *Säuberlin*, N. H. B. II. p. 669. seq.

(o) *Hist. Austr.* ad a. 1298. p. 484.

Post octavam purificationis B. virginis convenerunt ad *Ducem Austriae* in *Vienna* illustris *Hungariae* *Andreas*, magnificus *Wenceslaus*, Rex *Bohemie*, Marchio *Brandenburgensis*, Dux *Apuliae*, Dux *Opponiae*, Marchio *Dephile*, & alii quam plures nobiles, Barones, ministeriales & milites, Episcopus *Basiliensis*, Episcopus *Constantiensis*, Episcopus *Olnunicensis*, Episcopus *Pata-*

*Albertus* igitur cum in horum auxilio spem haberet, exercitum numero amplissimum poterat colligere, quando res ad certamen veniret. In primis *Alberto* grati erant hospites Dux *Saxonie*, Marchio *Brandenburgicus* & Rex *Bohemie*, quorum amicitiam diligenter colebat, cum de illoruim suffragiis in nova electione certus esse posset. Pari modo *Albertus* de suffragio *Gerhardi Moguntini*, qui *Adolpho* erat maxime infestus, minime dubitabat. At illi erat persuasum, Electores Principes, *Palatinum*, *Colonensem*, *Trevirensen*, qui partes *Adolphi* tuebantur, ad voluntatem mutumque suum non posse converti. (p) Igitur factum est consilio illorum, qui *Vienne* congregati fuerant, ut curiam *Francofurti* in festo *Philippi* & *Jacobi* pro diversis regni negotiis edicerent & Regem *Adolphum*, atque *Albertum* ducem ad eandem evocarent. (q)

At *Albertus*, ut sibi in illa curia habenda eo major spes in sententia *Regis Bohemiae* esset, hunc sibi magnis beneficiorum vinculis obstringere studebat. Itaque ille, simulac imperio Romano potitus fuerit, Regi *Bohemie* terras Imperii, *Egrensem* videlicet & *Misnensem* (*Plisnensem*) cum civitatibus, castris, munitionibus & hominibus ibidem, nec non castra dicta *Flozz* & *Prackstein*, ac oppidum *Videnum*, sita in Bavaria circa fines *Bohemie*, cum ipsorum districtibus pro quinquaginta millibus marcarum argenti puri *Pragensis* ponderis oppignorare. d. XIII. Februarii promisit.

Ne autem *Albertus* videretur hac oppignoratione de bonis *Imperii* detrahere, significabat eisdem litteris, se vel usu illius pecuniae suppeditate in-

Y 2 debite

*Pataviensis*, electus Episcopus *Arigonensis*, Episcopus *Geormensis*, Episcopus *Pragensis*, Episcopus *Frisingensis*, Episcopus *Verprunnenensis*, Episcopus de *V. Ecclesiis*, Episcopus *Scoviensis*, Episcopus *Chymensis*, Episcopus *Colocensis*, Episcopus *Wazensis*, frater *Amonius* Episcopus *Etloensis*, ordinis fratrum minorum & alii quam plures personæ solennes. Abbates, Præpositi, Canonici & Comites *Ungari* multi. Certe ab antiquis temporibus est inauditum, ad unum Ducem tot & tam illustres convenire personas, & venerunt cum tanta multitudine *Ungarorum*, quod vix poterant invenire hospitium in civitate.

*Eadem Hist. Austr.* — — Cum autem Rex *Adolphus* Ducem *Albertum* vellet circumvenire, terris suis privare sine causa, ecce per principes predictos, qui ad Ducem usque *Viennam* venerunt, facta est valida conspiratio adversus Regem *Adolphum*.

*Conf. Horneck*, c. 665. seq. p. 603. *Haberlin* l. c. p. 670.

(p) *Eggeri* sententia, Archiepiscopum *Colonensem* cum *Alberto* fecisse, minime firma est, cum amicitia quæ *Adolpho* cum *Colonense* intercessit, ita fuit probata, ut hic illum deferere non potuerit.

(q) *Chron. Colmar.* l. c.

*debita retenta & potiora*, per quæ magis *Thuringiam & Misniam*, quam regnum *Arelatense* intelligi yolebat, cum bonis Imperii conjungere studere.

Quo beneficio si forte *Rex Bohemiae* minus fuerit contentus, aliud addidit *Albertus*, cum litteris d. XIV. Mart. *Vimpæ* datis, illum omni onere servitorum & convocationum Imperialium eximeret. Tanta erat *Alberti* cupiditas imperii occupandi! (r)

Cæterum fama, malum, quo non velocius ullum, de istis scelestis conflictis per *Thuringiam & Misniam* brevi divulgatur: periculum *Adolphi Landgraviis* *Friderico & Ticemanno* spem adferebat, oppida amissa recuperandi. Insidiari cœperunt *Henrico Naujico*, *Adolphi* cognato, qui residens *Oschatii* terræ expugnatæ procurationem habebat. Illi oppidum *Rochlitum* irrumptentes *Comitem Henricum* inter *Dæbeln* & *Oschatium* ceperunt. Qui ut se vinculis liberaret, castrum *Lichtenwald* & oppida *Dæbeln*, *Geithain* & *Bornam* istis principibus reddere coactus est.

Quum igitur *Adolphus* pro temporis ratione suis non posset auxilio venire, *Landgravii* utebantur fortuna secunda in expugnandis pluribus locis, in quibus *Torgavia* & *Belgern* numerantur. (s)

Per idem tempus *Adolpho* cum alia fortuna adversa in *Alsatia* conflictandum fuit. Ille rebelliones, quæ non solum superiori anno, sed multo ante, auctore *Conrado Episcopo*, concitatæ fuerant, etiam hoc anno alebantur, ut *Adolpho* facerent negotium, & *Albertus*, dum *Nassovius* aliis locis retineretur, sine impedimentis fines *Rheni* accedere posset. Multa igitur hortabantur *Regem*, ut iter suum ad seditionem comprimendam in *Alsatiam* converteret. Quo tempore id factum sit, accuratius definiri nequit. At cum supra diximus, *Adolphum* d. XXIV. Jan. adhuc *Oppenheimi* esse versatum, paulo post se in *Alsatiam* contulisse, verosimile est.

Ista seditio, ad quam sedandam *Rex noster* in *Alsatiam* profectus est, erat causa, cur *Præfetus Imperialis*, *Theobaldus*, *Comes Phirretarum*, non solum *Comiti Friburgeni*, sed etiam *Conrado Episcopo Argentinensi* arma inferret, illorumque terras vastaret.

Eodem tempore *Argentinenses* cum *Hagenoicis* decertabant armis. Etsi vero *Argentoratenes* hac vice ab *Hagenoicis* lacestisti fuerint, quia non nulli cives *Argentinenses* ab illis male habiti dicuntur, tamen hæc controversia per amicabilem compositionem finiri potuisse, nisi a *Conrado Argentora-*

(r) de *Ludevig Reliq.* T. V. p. 442. seqq. & 439. seqq. *Lunig. Cod. Germ. dipl.* T. I. p. 975.

(s) *Tenzel* — — Sect. III. §. 20. p. 938. seq. & *Wilkins*, I. c. L. IV. c. 8. seq. & 14. seq.

*toratenses ad arma excitati fuissent. Quid? quod Episcopus mentem dis-  
simulabat suam: Ego vero, inquit, quia fidelitatem eis, (Argentoratensi-  
bus) servare promisi, non eos audeo relinquere. In hac parte, nec  
propter hoc volo Imperiale invadere potestatem.*

Cives vero Colmarie hoc tempore voluntati *Conradi* adversantur; se  
potius fidem Regi suo *Adolpho* servaturos esse his verbis profitantur: *Ami-  
ci vestri sumus, semper sumus, & esse volumus in nullo vos ledere cupi-  
entes, si autem Dominus noster vos ledere & nos in adjutorium suum vo-  
care voluerit, ipsum adjuvabimus diligenter, vestram super hoc indigna-  
tionem minime formidantes.*

Interea Argentoratenses Duce *Conrado Hagenoiam* oppugnare cœpe-  
runt: quorum vero res minus prospere cessit, cum infectis rebus abire co-  
acti sunt, Comite Phirretarum cum copiis, ex fidelibus *Alsatiae* congregatis,  
in auxilium properante. (t)

Sed *Conradus* ostendit suum odium in *Adolphum* etiam aliis rebus.  
Quo nunc apertior erat conjuratio hostium contra *Regem Romanum*, eo  
minus ille studium suum in *Albertum Austriacum* dissimulabat. Jam su-  
periori anno & multo ante oppidum Argentoratum *Comites Lichtenbergi-  
cos, Ochsensteinios, Bipontinos, Hohenloenses, Friburgicum* aliosque  
sceleris sui conquisiverat socios: Quorum conpiratio in interitum *Adolphiz*  
ita hoc anno aucta & manifestata fuit, ut procuratores Imperiales, *Comitem  
Phirretarum & Comitem de Geroldseck* in ulteriore Rheni parte præfectum  
in *Mordenvia*, expellerent *Alsatia*, dicentes, se injuriis horum procurato-  
rum graviter læsos, querelasque suas sèpius frustra ad *Regem* detulisse.  
Qui igitur Præfetti, relicta *Alsatia*, ad *Adolphum* confugerunt. (u)

Y 3

Quam

(t) *Annales Colmar.* ad a. 1297. seq. p. 31. *Chron. Colmar.* p. 56.

(u) *Trithemius Chron. Hirsaug.* ad a. 1297. anno siquidem prænotato Comitem de  
*Geroldseck* & quandam alium Comitem, quos Præfetos Provinciales in Al-  
satia constituerat, qui *Conrado de Lichtenberg*, Episcopo Argentinensi, ejus  
Ecclesia civibus & incolis terræ nimis molesti, plures molestationes cre-  
brius intulerunt. Qui contumeliis & injuriis graviter læsi, querelam con-  
tra dictos Comites Hermannum de Geroldseck & alium sèpius detulerunt  
ad *Regem*; postulantes instanter, ut eorum temeritatem Regalì anctiorita-  
te compeceret, sed omnia frustra, quia Rex in tyrannidem converfus, aut  
eos audiire contempfit, aut verbis mendacibus decepit. Unde postremo  
non valentes injurias sibi quotidie illatas diutius æquanimitate tolerare, se  
potenter contra *Regem Adolphum* opposuerunt. In unum igitur consentien-  
tes *Conradus* præfatus Episcopus, cives Argentinenses, cives de *Hagenawe*,  
cives de *Colmaria*, cives de *Lichtenberg*, *Comites de Ochsenstein*, *Comi-  
tes*

Quam vanæ sint rationes quas conjurati sceleribus suis prætendant, facile is intelliget, qui mentem illorum factiosam, Alberti nimis studiosam considerat.

Quum vero Archiepiscopus Moguntinus istam seditionem conjuratum, Adolphi moram & negotia nosset, monuit Austriacum, ut iter suum hoc opportunissimo tempore in fines Rheni sine mora susciperet. (\*) Ad quod perficiendum is omnibus necessariis rebus erat instructus.

Illi fuerat curæ, ut satis copiosum & ornatum haberet exercitum, qui ex Austraciis, Hungariciis, Bohemicis & Carinthiacis militibus erat compositus. Præterea multi Comites, Dynastæ nobiles, Episcopi in Suevia & Alsatia cum illo faciebant ejusque exercitum augebant, in quibus Archiepiscopus Moguntinus, Comes Wurtembergicus Eberhardus, Episcopus Argentinensis & Constantiensis numerantur. (x)

Neque Adolphus ad defensionem opibus erat destitutus, præsertim cum gener eius Rudolphus, Princeps Elector Palatinus, & Otto Dux Bavariae inferioris suas copias exercitui regio adderent, eique Archiepiscopus Trevirensis & Coloniensis, ac pleræque civitates Rhenenes faverent. (y)

Mili-  
tes de gemino ponte, vulgariter de Zveybrucken nuncupati, Comites de Hohenloe & alii multi præfules, Comites, Barones, nobiles & cives contra Regem Adolphum unanimiter conspirarunt & facta cum Alberto confederatione firmissima, quidquid partes sequebatur Regis in circuitu pro viribus hostili animo persecuti sunt. Nam impetu facto, supra dictos duos Comites Alsatiae intrusos violenter præfectos, usque adeo persequentes afflixerunt, ut Alsatia dimissa fugere ad Regem suum fuerint compulsi.

(\*) Hist. Austr. ad a. 1298. Dux Albertus vocatus ab Archiepiscopo Moguntensi, Domino Richardo (lege Gerhardo) in capite jejuni cum paucis Australibus, & fere trecentis Hungaris proficisciuit per Bavariam conditionaliter & pacifice, per Sueviam autem bellando malis gratis Regis Adolphi Argentinam usque pervenit, ubi ab Episcopo ejusdem loci & a multis nobilibus gloriose est receptus.

Chron. Austr. ad a. 1298.

(x) Chron. Colm. p. 57. de exercitu Ducis scribit: Dux Austria vocatus cum infinita multitudine Hungarum & Cumani venit, qui omnes pugnare cum sagittis & arcubus confluverant. Habuit secum Australes, qui armis ferreis utebantur.

Chron. Würtemb. apud Schannat. vind. Coll. X. p. 24. — Postea Dux Austriae Albertus fecit conspirationem contra Regem Adolphem, in cuius auxilio non ultimus fuit Eberhardus, Comes de Wirtemberg.

(y) Chron. Colmar. p. 57. pergit de exercitu Regis ita commemorare: Igitur Rex Adolphus contra Ducem Austriae cum magna multitudine venientem in occursum currit cum hominum armata multitudine copiosa. Armati reputabantur.

Milites plurimi ex utraque parte non nuper collecti, sed multo ante belis consueti, atque exercitati. Regis copia diu multumque in *Thuringia* & *Misnia* fecutæ fuerant castra, sicut *Austriacus* cum hostibus vicinis per multos annos bella gravia gesserat, factaque suorum fortia noverat.

Præterea uterque satis providerat de pecunia parata, qua belli usus indiget. Quinquaginta illa marcarum millia, quæ *Alberto Rex Bohemicæ* pro oppignorationibus bonorum Imperialium persolvit, isto tempore ad multa negotia expedienda valebant. Circiter idem tempus *Episcopus Freisingensis*, *Alberto amicissimus*, huic quandam pecuniæ summam suppeditavit. (z)

Neque *Adolphi* defuit studium pecuniam, quanta opus erat, compendiari. *Conrado Dynastæ Weinsbergensi* non solum omnia privilegia a Regibus Romanis concessa, adiecta immunitate a judiciis exteris, confirmavit, sed etiam illi reditus Imperiales *Heilbrunæ*, *Wimpinæ*, *Mosbaci* & *Sindshemii* pro 1500 libris Hallensium, quas *Conrado* debebat, tum temporis oppignoravit. (a)

Nunc vero præmissis, quæ ad tantum pugnantium negotium pertinebant, considerationem nostram in ipsum *Alberti* iter intendamus.

Is enim a *Gerhardo Moguntino* monitus, ut supra diximus, circa medium quadragesimæ, *Vienna* relicta, iter faciebat per *Bavariam* & *Sueviam*. Idem *Frisinge* cum sexcentis militibus pernoctasse dicitur. Etsi vero *Otto*, *Dux Bavariæ* a partibus *Adolphi* stare non insitabatur, tamen vim exercitus

bantur, qui galeas ferreas in capitibus habebant, & qui *Wambanicam*, id est tunicam spissam ex lino & stappa vel veteribus pannis confutam, & de super Camisiam ferream, id est, vestem ex circulis ferreis contextam, per qua nulla sagitta, arcus poterat hominem vulnerare. Ex his armatis centum inermes mille ladi potuerunt. Habebat & multos, qui habebant dextrarios, id est, equos magnos, qui inter equos communes quasi *Bucephalus* *Alexandri* inter alios eminebant. Hie qui cooperati fuerunt cooperariis ferreis, id est veste ex circulis ferreis connexa. Assessores dextrariorum habebant loricæ ferreas, habebant & caligas, manipulos ferreos, & in capitibus galeas ferreas, splendidas, & ornatas, & alia multa, quæ me tandem enarrare.

*Tritheimius Chron. Hirfang.* ad a. 1298. de sociis *Adolphi* scribit: Habebat autem in sua parte generum suum, videlicet Rudolphum, Comitem Palatinum Rheni de Heidelberg, Ludovicum quoque ducem Bavariæ, cives etiam Wormatienses, Frankfurtes, Geilenhusenses, Oppenheimenses, Provinciam Hassiac Comitem quoque de Jsenburg & plures alias Comites, Barones, nobiles, cives oppidanosque, quorum auxilio, si omnes debito convenissent in tempore, adversarius forte vicisset.

(z) *Meichelbeckii Hist. Frisingensis* T. II. P. II. p. 131.

(a) de *Ludervig Reliq.* T. XII. p. 563.

citus *Alberti* sustinere non audebat, sed transitum illius pacisicum per suam terram concedebat. Inde *Albertus* per Sueviam profectus est. Ad *Augustam Vindelicorum* aliquot dies morabatur. *Ducis* milites ubique prædati sunt, neque sacris neque profanis locis pepercérunt. Atque in campo illo, qui dicitur *Lechfeld*, morans, verebatur, ne sibi hostis *Adolphus* obviari veniret. Quum vero audiret, illum procul abesse, ad fines *Rheni* progressus est *Überlingam* ad lacum *Podamicum* & hinc *Waldshutum* prope *Rhenum*, ubi d. XVI. Aprilis versatus est. (b)

Quum vero Otto Dux Bavariae, *Alberto* iter facienti per *Bavariam* resistere non posset, se cum manu sua collecta in *Sueviam* convertit, Regi *Adolpho* contra hostem advenientem suppetias latus. Quod negotium ita prospere processit, ut mense Aprili apud *Oberndorf* Comitem de *Haigerloch*, qui a quibusdam Comes de *Herlo* vocatur, cum magno pecuniae pondere præmissum, ad socios acquirendos, ex improviso opprimeret, interficeret, quingentos milites partim caperet, partim occideret. (c)

Quibus confectis, iste Otto ad Regem nostrum qui illo tempore *Rubeacum*, municipium Episcopi Argentinenis obsidebat, de clade Comitis de *Haigerloch* nuncium detulit lætum, magnoque excipitur gaudio. (d)

Ita initia rerum in hoc bello Regi nostro erant felicia. Quum vero *Adolphus*, non temere *Conrado* Episcopo iratus, in obsidione *Rubeaci* hæreret, nihil obstabat, quo minus *Albertus* ante XXIII. Aprilis in *Brisagiam* perveniret.

### Rex

(b) *Histor. Austr.* ad h. a. *Aventinus Annal.* p. 697. *Henr. Stero* ad h. a. *Chron. Austr.* ad h. a. *Chron. Austr.* ad h. a. *Conf. Säberlin*, 1. c. p. 671. seq.

Etsi *Fugger* p. 215. narrat, *Ducem Palatinum* apud *Ducem Austria* hoc tempore ad *Monachum* fuisse, & nomine saceri sui *Adolphi* transactionem proposuisse, quam *Albertus* detestatus fuerit, tamen id probari nequit. Idem scriptor refert hoc tempore *Adolphum* ad *Ulmam* cum manu selecta venisse.

*Chronicon Augustanum Werlichii* p. m. 93. scribit: gegen *Adolph*, so sich gleich damals 1298. nach dem Meißnischen Krieg zu *Ulm* aufhielt, hat *Albertus* sein Kriegsvolk vorben geführet. Quod etsi fieri potuit, tamen est res altioris indaginis.

Eodem tempore Comes *Oettingensis* a nostro ad *Albertum* legatus esse dicitur. *Säberlin* 1. c. p. 672.

(c) *Albert. Argent.* p. 106. *Auctor de veteribus Landgrav. Thuring.* apud *Eccard.* in *Origg. Sax.* p. 449. *Henr. Rebendorf.* in *annal.* ad h. a.

(d) *Avent.* 1. c. Otto devictis hostibus triumphabundus ad *Cæsarem*, qui tunc Ruffas aquas, Argentoratensis Episcopi municipium obsidebat, pervenit, maximoque gaudio excipitur.

Ex quo igitur facile conjecturit, *Fuggerum* sine causa scribere, *Ottонem argenteum corruptum* *Duci Austriae* transitum per terras suas permisisse.

Rex quidem partem militum suorum, qui se Bojis coniunxerant, *Alberto* miserat obviam. At hi non multum contra illum valebant, sed post cladem *Haigerlochii* per anfractum ad exercitum *Adolphi* se recipere cogeabantur.

Jam vero Rex copias suas ad resistendum contrahebat, præter illas, quas reliquerat ad *Rubeacum* clausum tenendum, summa ope nitens, ut *Albertus* a transitu *Rheni* prohiberet. Neque tamen poterat impedire quo minus *Austriacus* *Friburgum* Briggaviense accederet.

Quo loco *Argentoratenes* mille equitibus & peditibus *Alberti* exercitum auxerunt, eti *Austriacos* in oppidum suum non receperint *Friburgenses*, sed quovis modo illorum conatu restiterint.

Quod cum cognosceret *Nassovius*, castra sua ad castellum *Kenzingam* posuit, ut *Ducem* a transitu *Rheni* arceret. Eundem locum petebat *Albertus*, ut utrumque exercitum *Ezaz*, exiguis amnis, intercederet, adeoque milites ex utraque parte commode inter se sermones conferre possent. In quo situ per quatuordecim dies utrique exercitus permanerunt: alter alterum gradu suo depellere studebat, sed parum felici successu.

At *Imperator*, quo facilius *Ducem* posset adoriri, oppidum *Kenzingam*, ad tempus a *Domino de Uenberg* pretio comparavit, valle S. *Gregorii* & arce *Blixbergo*, in *Alsatia* sitis, illius *Domino* oppignoratis. (1)

Id cum minus placeret *Alberto* inducias ab *Adolfo* petuit, simulans se dare operam, ut sibi cum *Rege* conveniret: illas quoque in unum diem in principio mensis Maji impetravit. Quo facto *Albertus* callide occultans, quæ sentiret, noctu castris relictis, *Rhenum* prope *Rinaugiam* transit. Ita ille manus *Imperatoris* evasit, *Argentoratum* perlatus ubi *Episcopus Conradus*, ejusque socii arma sua *Alberto* jungebant. Atque ita ultra mensem

(1) *Annal. Colmar.* ad a. 1298.

Dux Austriae venit in Priggaviam prope Kenzingam, ante festum S. Georgii cum Ungarorum Cumaniisque multitudine, volens ad electionem Regis Romani pervenire, & ut deponerent, pro viribus laborare. Intelligens hoc Adolfs Rex Romanorum, cum multo meliore atque majori militia, cum multititudine copiosa hominum, ipsum velociter impeditivit. Sed cum Adolfs ad exercitum Ducus, propter aquam venire non potuisse, castellam Kenzingam a *Domino de Uenberg* ad tempus protio comparavit, ut ad exercitum Ducus posset, quando vellet, feliciter pervenire. Timens autem Dux imperium Regis, suis hæc peditibus referebat: hac nocte me Rinaugiam praecedetis, ego autem ad vos eras veniam festinanter, sequenti die, circa tertiam, castra propria succendor, & fuos pedites sequebatur.

fem exercitus *Alberti* in loco maxime idoneo prope *Argentoratum* commoratus est. (2)

Postquam igitur animadvertebat *Adolphus*, se hoc loco nocere non posse *Alberto*, se recepit in *Alsatiam superiorem*, ubi antea partem copiarum suarum ad oppugnandum *Rubeacum* reliquerat. Itaque Rex, dum *Albertus* in castris ad *Argentoratum* quietus fuit, *Rubeacum* aerius oppugnare pergit, sperans, *Albertum* ad oppidi liberationem accessurum, adeoque in loco aperto illius fieri potestatem. At in hac re cum Regem opinio fecellisset, ipsumque *Rubeacum* valido praesidio ita esset fretum ut crebris eruptionibus multos homines *Adolphi* perderent; tandem *Adolphus*, infestis rebus ab obsidione d. XXIX. Maji defitit, & oppidum *Egishenium* obsidere coepit. Illum d. XI. Jun. in obsidione hujus loci adhuc occupatum fuisse, certum est. Sed d. XVI. Jun. ab *Egishenio* abscessit, cum audiret, *Albertum* castra sua, quæ adhuc fuerant prope *Argentoratum*, movisse. Namque *Albertus* certior factus, socios suos *Moguntiae* convenisse, ut ex-auctorarent *Adolphum*, eundem in locum iter dirigit suum, suasque copias, comparato *Argentorati* commeatu, eoque navibus deuesto, *Rheno* descendere jussit. Quo facto *Dux*, qui *Rudolphum Palatinum* a Rege avertere studebat, oppidum ejus *Alzeiam* oppugnare coepit: quæ cincta, in octo dies pacificebatur inducias, hac conditione, ut si hoc dierum intervallo ab *Adolpho* non liberaretur, gratiam *Alberti* experiri vellet. Quo nuntio Rex commotus, *Alsatia* relicta, ad hostem suum persequendum, & *Alziam* liberandam, in *Palatinatum* properabat. Hinc factum est, ut jam d. XXII. Jun. castra sua haberet ad *Spiram*, quod ex privilegio quodam, *Spirensibus* in *Judæos* concesso (3) intelligitur. Postea Regem prope *Alziam* tentoria sua collocasse satis appetat: (4) quod indicio est, *Adolphum* laborantibus civibus adhuc opportuno tempore suppetias tulisse.

Quan-

- (2) Errat igitur *Pontanus* in *Hist. Gelriae* p. 171. putans exercitum *Ducis Austriae* hoc tempore adversus regios prope *Aquisgranum* pugnasse: cuius erroris occasiōnem dedit *Jac. Meier. in Annal. Flandriae*, p. 80. qui contendit, *Albertum* per id tempus *Aquisgranum* oppugnasse.
- (3) *Chron. Lehmanni*, l. c. hæc habet: Datum in castris apud *Spiram*. X. Kal. Jul. a. 1298. regni anno septimo.
- (4) *Chron. Colmar.* p. 59. Rex hæc intelligens, descendit, ut obsecros restitueret pristinæ libertati; & paullo post: Rex prope *Alcinache* sua tentoria collocavit.

Quanquam idem oppidum, postquam nova Regis *Alberti* electio facta fuit, iterum ab *Alberto* obfessum atque exustum esse videtur. (5)

Dum vero hoc in Palatinatu agebantur, *Alberti* exercitus penuria rerum necessiarum laborabat, consumto comeatu, quem Argentorato deduxerant. Civitates vicinæ militibus *Alberti*, quem deriserunt, necessaria vendere nolebant, cum Regem *Adolphum* tanta reverentia prosequerentur, ut ejus exercitus omnibus, quibus indigebat, abundaret. (6) (e)

Interim hostes *Adolphi*, *Moguntiae* congregati in auferendo Imperio occupati erant: id quod alio tempore auspiciis secundis, pertractare constituit.


(5) Hist. Austr. *Albertus* electus profectus est ad quandam civitatem dictam Alzey, quam expugnat & succedit. Itaque minus recte Diether ab Helmstatt judicat, scribens, *Albertum* ab Electoribus *Alzeia* Regem Romanum prounitatum esse. In verbis: ipsum super dolium levantes in regem sublimarunt; legendum est solium; quod annotat *Pistorius* in amoenit. T. III. p. 709.

(6) Chron. Colmar. p. a. p. 59. Civitatum cives hunc Regem (*Albertum*) deriserunt, & ei nullatenus parere voluerunt eique vendere necessaria renuerunt: Regem *Adolphum* pro Rege tenuerunt, & ei necessaria praebuerunt, fidemque ad ipsius obitum usque tenuerunt.

(e) Albert. Argent. p. 110. Paraleipom. ad Conradum Ursberg. ad h. a. Annal. & Chron. Colmar. ad h. a. Kœnigshoff. Chron. Alfar. p. 121. Lehmanni Chron. Spir. p. 573. Hist. Austr. ad h. a. Scherz. l. c. p. 42. seq. Hæberlin. l. c. p. 672. seq.

**Quod reliquum est, impense petimus a FAUTORIBUS & AMICIS litterarum humaniorum, ut ad solemnia nostra confluant, suaque honorifica præsentia conferant, quæ ad commodum & honorem GYMNASII NOSTRI pertinent. Hoc nobis gratius facere nihil possunt. Præter examen minus solemnie paucis ante diebus habendum, lustratio prædicta hora matutina VIII. inchoabitur.**

Ho-



## HORA II. POMERIDIANA

### I. Ex Classe Prima declamabunt:

- 1) Jo. Fridericus KOEPP, Wisbadensis, de morte, virtutis magistra. Germ. Valed.
- 2) Gottfrid. Christian. KOERNER, Wisbadensis, de usu Physica insigni. Germ. Valed.
- 3) Philipp. Casimir. DIEFFENBACH, Rhoda Superiori - Nassovius, de Sapientia in eligendo vita genere. Germ. Valed.
- 4) Henr. Christ. Wilhelm. HOFFMANN, Wisbadensis, de vero temporis per brevis uita. Carm. Germ. Valed.
- 5) Jo. Henr. Philipp. Wilhelm. SCHMIDORN, Gräfenwischaco - Nassovius, de officiis circa opes. Lat.
- 6) Christian. Wilhelm. HENCK, Idsteinenensis, de usu historiae. Gall.

### II. Ex Classe Tertia & Quarta de condiscipulatu Ciceronis & Attici prodibunt disputaturi:

- 1) Jo. Adam. HÄUSER, Idsteinenensis.
- 2) Carol. Ludovicus CRAMER, Monasterio - Hassus.
- 3) Jo. Henr. Daniel. MÜLLER, Buzbaco - Hassus.
- 4) Christian. Christoph. FORST, Langen - Schwalbaco - Hassus.
- 5) Jo. Christian. Daniel. BICKEL, Biberico - Nassovius.
- 6) Ludovicus Henr. SCHALLER, Rödelhemio - Solmsensis.
- 7) Fridericus Henr. Ludovicus EBENAU, Fano St. Goaris - Hassus.



Ne 1627.8

K078

ULB Halle  
006 305 962

3







SCHEDIASMA OCTAVUM  
DE VITA  
**ADOLPHI NASSOVII,  
REGIS ROMANORVM,**

A. M C C X C V I I I.

ATTENTATAM AD MAJESTATIS  
EIVS IMMINVTIONEM VSQVE.

Q V O  
AD LVSTRATIONEM  
GYMNASII IDSTEINENSIS

V E R N A M ,

D. XXII. MENSIS MARTII, A. R. S. c<sup>lo</sup> I CC LXXIX.

HABENDAM,

**FAVTORES ATQVE AMICOS  
REI SCHOLASTICÆ**

OMNI OBSERVANTIA INVITAT

J. O. PETR. WAGNER,  
PROFESSOR ET RECTOR GYMNASIL.

*W I S B A D I I ,*  
IMPRIMEBAT IO. SCHIRMER, AVL. ET REGIM. TYPOGRAPHVS.